

ARTICULUS V.

QUAM SIT NECESSARIUM PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM?

Nota. Qui ex hæreticis sacramentum pœnitentiæ aliud a baptismo divinitus institutum esse inficiantur, consequenter ejus necessitatem negant: nam si tale remedium a Christo ordinatum non fuisset, potuissent Christiani a peccatis post baptismum contractis per actus virtutis pœnitentiæ æque expurgari, ac olim in lege antiqua.

Quæritur ergo non solum, an, postquam Christus hoc sacramentum pœnitentiæ instituit, medium istud Christianis omnibus peccato lethali obstrictis ita simpliciter sit necessarium, ut sine illo re aut voto suscepto, salutem consequi non possint? Et quamvis Catholici omnes fateantur, illud ex præcepto Ecclesiastico necessarium esse: videntur tamen quidam ex Scholasticis antiquis ac recentioribus, quos infra nominabimus, negare, hoc idem sacramentum esse ex Christi institutione medium a baptismo graviter lapsis, ad salutem plane necessarium.

Certe Scotus in 4. d. 17. q. un. §. *In ista questione.* Gabriel, Medina et Cajetanus putant, ejusmodi necessitatem ex illo loco Joan. 20. v. 22. non colligi.

116. *Dico.* Sacramentum pœnitentiæ necessarium plane medium est ex Christi institutione ad veniam peccatorum lethaliū post baptismum admissorum obtinendam.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus Matth. 16. v. 19. et c. 18. v. 18. et Joan. 20. v. 22. dum ait Apostolis, *accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, etc.* constituit sacerdotes judices peccatorum mortalium, committendo ipsis claves regni cœlorum, cum potestate ligandi et solvendi, remittendi peccata et retinendi: atqui si fideles sine ipsorum ministerio possent cœlum intrare, solvi a peccatis, eorumque remissionem obtinere, frustra et joculariter potestas talis sacerdotibus commissa fuisset; sic enim nemini possent peccata retinere, h. e. negare, aut differre absolutionem ab eis. Ergo judicium sacerdotum, seu, quod idem est, pœnitentiæ sacramentum, ex Christi institutione est simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum lethaliū a baptismo admissorum. Hoc argumento utitur Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 5. Et pridem ante S. AUGUSTINUS eodem argumento usus homil. 49. inter 50. (al. hom. 392. n. 3.): *Agite, inquit, quæso, pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.* Videlicet si aliunde aditus in domum pateat, frustra uni claves crederentur.

Prob. II. Testimoniis Patrum supra art. 1. et 2. recitatis: quibus aliqua hic pro auctario subjicimus. ORIGENES L. 3. Periarchon. c. 1. circa medium (opp. t. 1. p. 120. c. interpret. Rufin.): *Qui non prius, inquit, suorum peccatorum cognoverit mala, ac proprii oris confessione prodiderit, is absolvi non poterit.* BASILIUS M. in id Ps. 32. (opp. t. 1. p. 132. E.) *Misericordia*

Domini plena est terra, dicit, Deum velle remittere peccatum, si tamen contritio et confessio adsit. Idem regula 288. ex brevioribus (opp. t. 2. p. 516. D.) Necessario, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Idem habet in epist. 15. ad Amphilochem cap. 73.

S. LEO epist. 91. ad Theodorum Forojuliensem episc. (al. 108. c. 2.): *Multiplex, inquit, misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparatur eternæ; qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidii ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc Ecclesiæ præpositis, etc.* ut in fin. art. 2. Si ergo sine sacerdotum supplicatione venia peccatorum obtineri nequeat, supplicatio ista sive absolutio sacerdotum jure divino necessaria erit.

Prob. III. Si lex adeo difficilis confitendi peccata etiam maxime propudiosa, esset instituta ab homine, vel non fuisset admissa præcipue a potentioribus, vel desuetudine abrogata fuisset, ut etiam legibus Apostolicis contigit, vel saltem aliqui ejus veniam interdum seu dispensationem impetrassent. Atqui horum nihil unquam evenisse recordamur. Igitur evidens signum est, divina auctoritate illam ab Apostolis Ecclesiæ fuisse commendatam; quemadmodum de hujusmodi ritibus et præceptis docet S. AUGUSTINUS L. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 24.

Conf. Minutius Felix Tertulliano cœvus, in Octavio c. 9. scribit, Christianos ab ethnicis risu exceptos fuisse, quasi adorarent virilia sacerdotum, eo quod ad horum genua provoluti peccata confiterentur.

117. *Obj. I.* Multa possunt dari media utilia seu sufficientia ad eundem finem, quamvis nullum eorum simpliciter sit necessarium; ergo ex eo, quod Christus judicium sacerdotum tanquam utile ac sufficiens ad peccatorum remissionem instituerit, non legitime concluderunt Patres Tridentini, illud esse necessarium.

R. D. Cons. Si ex eo solum, quod sacerdotes a Christo instituti sint judices, Patres Tridentini colligebant, judicium hoc esse medium necessarium ad remissionem peccatorum, non legitime concluderunt. C. cum ex eo, quod tales sint judices, ad quos pertineat remissionis aut retentionis peccatorum sententiam, pronuntiare, judicii hujus necessitatem Patres collegerint, non legitime concluderunt. N. Si confessio non esset necessaria, sed voluntaria duntaxat, sacerdotes remittere quidem peccata possent, retinere non possent. Ad exercitium ergo utriusque hujus actus opus est, ut fideles teneantur uti hoc medio tanquam necessario ad peccatorum remissionem. Nam cum Matth. 16. v. 19. sacerdotibus creditæ sint claves regni cœlorum, hoc peccatori sine clavium actu patere nequit: hoc enim sub clave clausum esse dicitur, quod sine clave non potest aperiri; secundum illud Apoc. 3. v. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.*

Inst. 1. Sola pœnitentis contritione remittuntur peccata, quin illa sacerdos retinere possit; ergo ex potestate retinendi non colligitur, pœnitentiæ sacramentum esse medium necessarium ad peccatorum remissionem.

R. D. Ant. Sola pœnitentis contritione remittuntur peccata absolute N. ea conditione, ut iudicio isti maneat adhuc obnoxius C. Semper manet obligatus huic tribunali, ut in eo sententiam absolutionis aut retentionis excipiat. Nam licet in dato casu peccata quoad culpam non retineantur; nihilominus quoad obligationem confitendi retinentur a Christo, cujus institutio et lex nondum est impleta. Unde sequitur, sacramentum istud re aut voto suscipiendum medium esse necessarium ad peccatorum remissionem.

Inst. 2. Secundum hactenus dicta, videmur petere principium: præsumimus enim necessitatem confitendi peccata; et ex hac necessitate inferimus, manere obligationem confitendi peccatum etiam contritione perfecta jam deletum.

R. N. Assumpt. et ejus probat. Cum sacerdotibus potestas universe et generatim commissa sit in omnia peccata mortalia, necesse est, ut possit circa omnia efficaciter exerceri: atqui non posset exerceri ullo modo circa peccata per contritionem remissa, nisi maneret saltem obligatio illa confitendi; ergo ex illa potestate optime colligimus et necessitatem sacramenti, et obligationem confitendi.

Inst. 3. Secundum etymologiam τὸ *retinere* non solum significat non remittere, sed præcipue significat actum positivum ligandi: ex positiva autem hac significatione hoc solum conficitur, solutum aut ligatum manere, quem sacerdos solverit aut ligaverit; quod si hoc sacerdos non fecerit, alia via peccatorem solvi posse aut ligari. Ita Jansenius in Concordia c. 147.

R. D. Ant. Verbum *retinere* non accipitur tantum negative, sed significat præcipue actum positivum ligandi, si referatur immediate ad ipsas culpas N. in nonnullis aliis actibus et objectis C. Sicut verbum remittendi, ita etiam verbum retinendi, in materia præsentis, ad culpas potissimum refertur: culpæ autem non possunt directe per actionem positivam retineri. Sane Cyrillus, Euthymius, Rupertus aliique Patres antiqui retentionem illam per negationem veniæ explicarunt. Quanquam iudicium ipsum, quo quis indignus absolutione censetur, actus sit positivus, et prolatio sententiæ retentionis, ut Tridentinum loquitur. Actus autem iste positivus adhuc firmat nostram consecutionem: si enim sacerdotes jus habent ferendi hoc iudicium, remittendi et retinendi peccata pro causæ meritis, necesse est, ut pœnitentes sese illis sistant.

Inst. 4. Ex eo, quod sacerdos retinere venialia possit, negando eorum veniam indispositis, non inferitur, sacramentum pœnitentiæ esse medium necessarium ad remissionem peccatorum obtinendam; ergo a pari ex potestate retinendi peccata mortalia non dispositis ad recipiendam absolutionem non inferitur legitime necessitas absoluta sacramenti pœnitentiæ lapsis in peccata gravia.

R. N. Cons. Non est par ratio. Nam si, retento peccato mortali, clavis non erret, vere culpa manet; quod si etiam clavis forte erraverit, manet semper obligatio procurandi absolutionem in foro illo. E contra sacerdos peccati venialis absolutionem negans retinet illud tantum secundum quid, h. e. ut sacramentaliter non absolvatur; non autem necessario deinceps foro illi subjiatur.

Inst. 5. Remissio peccatorum, de qua Joan. 20., intelligi non potest, nisi

supposita voluntaria subjectione peccatoris; ergo neque retentio peccatorum intelligi potest, nisi voluntarie peccator se sacerdoti subjecerit. Ergo sacerdos ea solum retinere peccata potest, quorum se pœnitens accusare voluerit, non vero ea quæ noluerit aperire. Ergo ex utraque hac potestate non concluditur, confessionem esse medium necessarium ad peccatorum remissionem impetrandam.

R. D. Ant. Hoc est, sacerdos non potest remittere peccatum, cujus se pœnitens non accusaverit C. Quasi pœnitenti arbitrium sit peccata sua retinere, aut aliquorum tantum se accusare, queis a sacerdote solvatur, et peccatorum silentio pressorum veniam aliunde consequi N. Ant. et tres ejus consecutiones. Rem istam Christus non permisit liberæ voluntati peccantium, neque ait: *Accipite potestatem remittendi et retinendi peccata, quæ ipsi peccatores voluerint*, sed simpliciter, *remittendi et retinendi peccata*. Igitur adjecta illa limitatio detrahit verbis Christi, et potestati ministrorum, quorum iudicio et arbitrio causæ istæ fuerunt creditæ. Deinde si liberum cuique sit nolle judicari a sacerdote de peccatorum remissione vel retentione; ergo pœnitens, cui peccati confessi absolutio negata fuit, ejusdem veniam aliunde sine nova confessione et sacerdotum opera, per contritionem v. g. obtinere poterit, sicut fere in simili casu peccatorum venialium posset evenire: nec enim facta semel confessio obligationem illi addidit; nec sacerdos, utpote functus officio, addere eam posset. Igitur ut retinendi potestas sit efficax, oportet, illam simpliciter et absolute cadere in peccata, et inde intelligi obligationem confitendi et subjiciendi peccata absolute huic potestati, non vero cum conditione, si confiteri illa peccatori libuerit.

Quanquam enim hæc clavium una eademque sit potestas, primario in gratiam pœnitentium et peccatorum remissionem ordinata; quia tamen etiam in favorem divinæ causæ seu justitiæ instituta fuit, juxta cap. 8. et can. 15. Sess. 14. Concilii Trid., vis retinendi evasit suo modo coactiva ad castigandum et vindicandum delicta; requirit ergo aliquam necessitatem ex parte rei: cumque in hoc foro externa violentia locum non habeat, oportet ut coactio fiat per obligationem præcepti, quo non ea solum peccata clavibus submittantur, quorum se reus voluerit accusare, alias potestas in hunc finem esset valde inefficax; sed absolute omnia ad injurias Dei vindicandas. Ex quibus apparet, cur necessitas sacramenti hujus magis ex actu retinendi, quam remittendi peccata colligatur.

118. Obj. II. Christus constituit etiam sacerdotes iudices peccatorum venialium; non tamen ex eo legitime inferitur, iudicium eorum esse medium necessarium ad remissionem peccatorum: ergo neque est bona illatio Patrum Tridentinorum pro necessitate sacramenti pœnitentiæ, quia sacerdotes Christus constituit iudices omnium peccatorum.

R. D. Ant. Christus constituit sacerdotes iudices peccatorum venialium, ad illa eodem modo remittenda et retinenda, quo remittunt ac retinent mortalia N. ad venialia quidem remittenda, non autem simpliciter retinenda C. Potestas retinendi non ita proprie ac simpliciter extenditur ad venialia peccata, sicut ad mortalia. Concilii autem argumentum non tam ducitur ex potestate judicandi absolute, quam ex potestate judicandi cum facultate remittendi peccata.

Inst. Verba Christi simplicia sunt, et quoad utramque partem indefinite et indistincte cadunt in peccata; ergo vel sub utroque membro venialia peccata comprehenduntur, vel sub neutro.

R. D. *Ant.* Indistincte cadunt in peccata, ita tamen ut ipsorum sensus peccatis utrisque accommodari debeat modo illis proportionato C. ut par omnino sit utrorumque ratio tam quoad remissionem, quam quoad retentionem N. Potestas remittendi consecutione quadam a mortalibus ad venialia deducitur. Nam si virtus clavium sufficit ad tollendam injuriam simpliciter et ad amovendum impedimentum, quod nobis aditum in cœlos perpetuo præcludit: quanto magis sufficiet ad amovendum impedimentum temporaneum venialis culpæ, injuriæ secundum quid, cujus venia in hac vita facilior est et in purgatorio amicis dari solet. E diverso quod peccata venialia sint tantum injuriæ secundum quid, quod nemini cœlum occludant, sed sint tantum impedimenta temporalia ab ingressu in cœlum, quæ in purgatorio auferri queunt, non potuit ad ista æque extendi potestas retinendi, atque se extendit ad peccata mortalia. Quamvis ergo verba Christi simplicia et uniformia esse videantur, quia tamen in ipso nomine, *peccata*, analogia latet, exigunt plane, ut cum proportionem ad ea, quæ sub se continent, applicentur juxta materiæ capacitatem.

119. *Obj. III.* Juxta GRATIANUM Causa 33. q. 3. duæ erant inter viros sapientes et religiosos opiniones de confessionis necessitate; ergo libera tunc fuit, nec divino jure præcepta.

R. D. *Ant.* Juxta GRATIANUM duæ erant opiniones in Ecclesia de confessionis necessitate quoad effectum, h. e. quoad veniam consequendam C. quoad præceptum N. Duplex quæstio est de confessione, altera Catholicis inter et hæreticos de confessionis necessitate quoad præceptum, an omnibus post baptismum in crimina lapsis a Christo præcepta sit, et in Ecclesia semper usurpata: altera inter Theologos de confessionis necessitate quoad remissionem peccatorum, an prima gratia contritione ante confessionem et sacramentum, an vero in sacramento demum obtineatur. Primam de lege Christi ac præcepto circa confessionem hic non attingit Gratianus; sed secundam, quæ non mediocri animorum contentione in utramque partem agitabatur. Hanc postremam solum controversiam expendit Gratianus, disputans de effectu confessionis, non de præcepto. Quod patet 1º. ex ipso quæstionis titulo: *Si sola confessione cordis crimen possit deleri?* 2º. Ex verbis, quibus primam opinionem exhibet: *Sunt enim, inquit, qui dicunt, quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiæ et sacerdotali judicio posse promereri.* Passim etiam hæc locutionibus promiscue utitur: *sine confessione: ante confessionem: in contritione: non in confessione.* 3º. Quia de venia, justificatione, et remissione peccatorum semper loquitur; non autem de salute. Eodemque spectant testimonia Scripturæ et Patrum, quæ adducit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos,* etc. et illud Augustini: *Nondum pronuntiat ore; et tamen Deus jam audit in corde.* Idem suadent comparationes, quas adducit, v. g. de leprosis: qui mundati sunt, antequam sese ostenderent Sacerdotibus; de Abrahamo, qui justificatus est ante circumcissionem. 4º. Hoc idem Gratianus identidem colligit his et similibus verbis: *Ex quo datur intelligi, quod antequam sacerdotibus peccata nostra*

confiteamur, a lepra peccati mundamur... Patet, quod antequam quisque confiteatur peccatum, per gratiam internæ compunctionis absolvitur... Cum ergo ante confessionem, ut probatum est, simus resuscitati per gratiam, etc.

Huc etiam spectavit Gratianus Can. *Quidam*, supra n. 102. *Inst.* ad Obj. 2. indicato, nimirum eam esse vim contritionis, et confessionis Deo factæ, ut peccata purget invisibili Dei operatione. Canonem istum, quem Usserius et Dallæus A catholicis scriptores etiam interpolatum esse fatentur, repurgatum exhibet editio decreti jussu Gregorii XIII. accurata.

Inst. 1. SS. THOMAS in 4. d. 17., BONAVENTURA ibid., ANTONINUS in Chronico part. 2. T. 15. sect. 19. alique passim Gratianum accipiunt de lege confessionis; ergo.

R. N. *Cons.* Plurimi sunt, qui existimant Gratianum non de ipsa confessione, sed de confessionis effectu ac efficacia contritionis illic disputare. Id quod ex nuper disputatis apparet, tum quod ibidem Gratianus scribat, argumentum quod tractabat talis conditionis esse, ut de eo ultro citroque a sapientibus ac religiosis viris ætate illa disputaretur: atqui nullus Theologorum illius ætatis necessitatem confessionis ex divino præcepto faciendæ negabat; ergo Gratiani dissertatio tantum de confessionis et contritionis effectu erat instituta. *Prob. Ass.* inductione sapientum, qui Gratiano coævi aut suppres erant. GOFFRIDUS Vindocinensis Abbas L. 5. epist. 16. (inter opera Sirmond. t. 3. p. 858. C.) fuse probat, confessionem, non quatuor tantum criminum, ut adstruebat Guillelmus quidam, sed omnium prorsus esse necessariam, atque *hoc esse certum, nihil hoc certius esse, idem ad fidem Catholicam pertinere.*

S. BERNARDUS in exhortatione ad milites templi c. 12. (opp. t. 1. p. 556. E. edit. Mabill.) *Quod si, inquit, quispiam confiteri confunditur... talis pudor peccatum adducit... quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstruso labiorum ostio non permittit exire.* Idem S. BERNARDUS primum edidit miraculum, ut ne vir quidam nobilis sine confessione moreretur; quemadmodum in vita ejus Guillelmus S. Theodori Abbas Bernardo coævus narrat.

THEOBALDUS STAMPENSIS in epist. ad Episc. Lincolnens. scribit, confessionem cordis non fore infructuosam, *si aliquo eventu confessio oris impediatur.*

PETRUS CELLENSIS de disciplina claustrali c. 20. *Maledictus, inquit, omnis, qui non amputat per confessionem peccata.*

ROBERTUS PULLUS, sententiarum part. 5. c. 10. et p. 6. c. 51. et 59. scribit, *Corde contrito et humiliato mox peccatorum veniam concedi; necesse tamen esse postea confiteri.*

HUGO VICTORINUS Tom. 2. serm. 53. (p. 368. A.) *Tunc salus, inquit, peccatoris incipit, quando veraciter pro delictis suis ingemiscit; quæ tamen salus tunc perficitur, quando id, unde ingemuit, ore confitetur: quæ salutis perfectio, etsi... necessitatis articulo impediatur; per summum tamen sacerdotem... adimpletur.* Mox pluribus edisserit, delicta graviora sacerdotibus pandi oportere. Et Tom. 3. L. 2. de Sacramentis fidei, part. 14. integra, disputans de confessione, poenitentia, et remissione peccatorum, expendensque illud Jacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini,* scribit (p. 494. A.): *Hoc est, non salvamini, nisi confiteamini.* Et c. 8.

advertit, multos sensisse, quod in sola cordis contritione, etiam ante confessionem oris, peccata dimittantur: sed non ideo tamen confessionis sacerdoti faciendae necessitatem ac legem sustulisse; post contritionem enim cordis, confessionem quoque oris esse necessariam: quia (p. 499. H.) *si quis, etiam post impetratam veniam peccatorum, confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinae contemptor, reus... erit.*

RICHARDUS VICTORINUS de potestate ligandi et solvendi c. 5. (opp. p. 330. E.) *Vera poenitentia, inquit, est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi... solus sub hac conditione non tenetur, cui exsequendi facultas divinitus denegatur; et c. 8. nam si facere neglexerit, periculum aeternum non evadit.*

PETRUS BLESENSIS L. de Confessione sacramentali (opp. p. 437.) ejus necessitatem probat verbis S. Augustini, quae aliquoties jam recitavimus: *Nemo dicat, occulte confiteor, etc. Tum, si vero, inquit, pudor prohibeat confiteri; recolat, quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die judicii.*

PETRUS LOMBARDUS 4. sent. d. 17. duas movet controversias, perinde ac Gratianus, alteram de vi contritionis; alteram vero deinceps de confessione; ibi autem sancit ex Jacobi mandato et plurium veterum dictis, *indubitanter ostendi oportere, Deo primum, ac deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si facultas adsit.*

PETRUS PICTAVIENSIS sententiar. part. 3. c. 12. ait pariter, confessionem esse necessariam, et quidem sub poena peccati mortalis; cap. autem 13. eam fundat in Christi verbis et Apostoli jussu.

Igitur sapientes illi ac religiosi viri, quorum meminit Gratianus, non de confessione dubitabant aut disceptabant; sed de alio quodam capite prorsus diverso, hoc est, de contritionis efficacia.

Inst. 2. Glossa in princip. de Poenitentia dist. 5. dicit, ritum confitendi peccata institutum esse ab Ecclesia vel ab Apostolo Jacobo, quam, teste Navarro, secuti sunt nonnulli Canonistae. S. etiam Bonaventura d. 17. 5. p. a. 1. q. 3., Alexander 4. parte, q. 17. alias 76. membro 3. a. 2. docent, institutam quidem a Christo confessionem fuisse, sed non praecipitam; ergo confessio non est medium ita necessarium.

R. N. Cons. Sumpserunt ista ex Hugone Victorino L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 1.; at hic scribit, confessionem fuisse de jure divino legis veteris, et Christum Dominum non dedisse in hoc novum praecipitum, sed specialem modum priori addidisse; ergo existimabat Hugo, confessionem non fuisse juris humani, sed divini. Igitur S. Bonaventura et Aleensis docent, institutum quidem a Christo fuisse sacramentum confessionis quoad significationem et efficaciam, promulgatum vero tantum a Jacobo quoad praecipitum. Nam si confessionem Christus ipse non praecipisset, ab Ecclesia profecto tantum onus fidelibus imponi minime potuisset, ut pluribus ostendunt Scotus d. 17. q. 1., Durandus q. 8., Paludanus q. 2. a. 2., Sotus d. 18. q. 1. a. 1., Navarrus de Poenit. d. 5. n. 18., Canus et alii. Quorum sententiae etsi Adrianus et nonnulli Theologi repugnent; omnes tamen solide concludunt, praecipitum confitendi peccata antiquius omni canone humano esse, adeoque a solo Christo et Apostolis voluntatis divinae praecipitibus

Ecclesiae commendatum: nec fieri potuisse, ut legi humanae tam severae, tamque dubii juris non adversarentur Christiani proceres, aut nulli unquam ejus venia fieret. Hinc Jansenius in Concordia cap. 147. scribit, Apostolos ex Spiritus sancti inspiratione intellexisse, hanc fuisse Christi intentionem, eamque Ecclesiae tradidisse.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

QUAenam SIT HUIUS SACRAMENTI FORMA?

120. *Nota I.* Consuetam hujus sacramenti formam his verbis, *Ego te absolvo*, etc. comprehendi, legimus ex Conciliis Florentino in decreto Eugenii §. *Quartum sacramentum*, et Tridentino Sess. 14. c. 3. Formulam istam rejiciunt haeretici nostrae aetatis, quibus absolutio nihil est aliud, quam *ministerium annuntiandae remissionis peccatorum*, ut Melancthon in Locis an. 1543. editis scribit.

Nota II. Inter Catholicos Theologos quidam, quos alias indicabo, non probabant formam hanc per modum indicativum efferri, sed deprecando potius recitandam censuerunt.

Alphonso Tostato, 1. part. sui Defensorii c. 6. non videbatur dicendum, *absolvo*, quod magis proprie verbum, *remitto*, adhiberetur. Gabriel distinct. 14. q. 2. putat, addi debere, *ab omnibus peccatis*. Durandus d. 22. q. 2. invocationem SS. Trinitatis judicat esse de necessitate hujus formae. In quam sententiam Joannes Major et Petrus Sotus inclinant.

121. *Dico.* Forma hujus sacramenti conveniens et sufficiens sunt verba ista formaliter sumpta: *Absolvite*. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. et in 4. d. 22. q. 2. a. 2. et Theologi communiter.

Prob. 1^a. pars argumento S. Thomae. Cum sacramenta novae legis efficiant, quod significant, forma debet significare id, quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti. Atqui poenitentiae sacramentum non consistit, ut reliqua, in consecratione alicujus materiae, nec in usu alicujus materiae sanctificatae, sed in remotione materiae cujusdam, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur: *Ego te absolvo*. Nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud Prov. 5. v. 22. Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur: Unde haec est convenientissima forma.